

tute, in meam sententiam trahi se patientur, atque hac ratione eorum mihi animi conciliari possint: *εαν μη ο πατηρ ελκυση αυτον*. Nam sic pater in societatem Christi trahit animos, non vi, sed ratione, doctrinae argumentis et miraculorum efficacia, atque his qui crediderit, ex iisque Christum esse suae salutis autorem cognouerit, is eius se filii tradet lubenter, eumque ad vitam resuscitabit beatam, de qua *το αναστησω* hic intelligere iubet subiecti, de quo sermo est, conditio. Sic autem trahere *) velle patrem docendo, et vi veritatis diuinae flectendo animos, clarius nunc explicat Christus v. 45, ex eiusque confirmat promissione, in Prophetarum volumine consignata litteris, de largissima, quae tempore N. T. offeretur omnibus, Deum cognoscendi copia. Qua de re cum illustrissima plurimum extent vaticinia, summam eorum Christus his Esaias verbis breuiter enuntiat: omnes a Deo docebuntur, Esa. XLIV. 13. In hebr. dicitur: erunt omnes discipuli Iehovae, *יְדֻבְּלֵי* quos instituet saluari doctrina, non *יְדֻבְּלֵי מַלְאָכִים* bene iam instructi, *δεδιδασκευμενοι υπο τῆς Θεου* quales erant liberi Heman 1 Paral. XXV. 7. nunquam vero sunt omnes, nec erunt, ne Christiani quidem, nedum terrarum gentes, etiamsi omnes velit Deus in suam admittere disciplinam. Idque dicitur *εσονται παντες διδακτοι Θεου*, erunt omnes institutionis diuinae alumni, siue tamen esse tales debent, quae vis saepe inest Futuris, erunt ad eam inuitati eiusque copia instructi, vt *διδακτοι λογοι* 1 Cor. II. 13. dicuntur sermones ad institutionem bene comparati. Ita enim Christus ipse *διδακτης Θεου* nominat eos omnes, qui oblatam sibi opportunitatem illam a Deo discendi, siue negligunt, siue admittunt lubenter, ita, vt auide non audiant tantum, sed discant etiam et prompto animo recipiant traditam a patre doctrinam *ο ακεσας παρα τῆς πατρος, και μαθων*. Atque illi demum, ait, qui sic a patre trahuntur, meae se disciplinae docili solertia facile submittent: *ερχεται προς με*. Quod quo tanto lubentius faciant illi, qui audire doctrinam patris ab eoque discere desiderarent, Christus se decretorum eius et praeceptorum esse interpretem profitetur v. 46, eosque admonet, ne forte sibi persuadeant, quod quisquam patrem coram nosse,

*) Atque hoc sensu morali, vt latin. trahere, sic graecum etiam *ελκυσαι*, et hebr. *קָשָׁה* adhibetur Neh. IX. 30. vbi disciplina Dei in corrigendis Israelitarum moribus, patienterque ferendis hac voce laudatur: *ειλκυσας επ αυτης ετη πολλα*, quod admonitionibus ex prophetarum doctrina factum esse, sequentia explicant: *και επεμαρτυρω αυτοις εν πνευματι σε εν χειρι προφητων σε*, idque suae Deus gratiae vindicat et beneuolentiae, eorum salutis cupidae Ier. XXXI. 3. *δια τῆτο ειλκυσω σε εις οικειριμω*